

# Anzeigebblatt für die Erzdiöcese Freiburg.

Nro. 25.

Mittwoch, den 19. Dezember

1885.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Leonis

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

CONSTITUTIO

DE LEGE FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS SAECULARIS.

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper caritatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Jesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christiana reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *caritas est*<sup>1)</sup>, gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius materna maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sedalitatem Franciscalium *Ordinis Terti*, qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari obmutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato*, quas die xvii Septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christiana laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt<sup>1)</sup>, et periculorum quae metuuntur,

neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando priyatim et publice ad Iesum Christum reditu, qui *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*<sup>1)</sup>. Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed pauorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos, superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Terti Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Terti Ordinis, quam Nicolaus IV Decessor Noster probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem die XVIII. Augusti MCCLXXXIX*, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detimento fieri non posse, facile intelligitur.

<sup>1)</sup> I. Ioan. IV. 16.

<sup>1)</sup> Hebr. VII, 25.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimurum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *ad Romanum Pontificem* die XV Martii anno MDCLLI tollendas priores dubitationes curavit: non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis sacrisque reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuerent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorundam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibetique caussa periculi ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV. sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integrum permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.

LEX  
SODALIVM FRANCISCALIVM TERTII ORDINIS  
QVI SAECVLARIS DICITVR.

CAP. I.

DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes cordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, pectatoque ergo Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae profundi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II.

DE DISCIPLINA VIVENDI.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissionibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie granteque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie saera solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias current.

§ X. Iusurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fando fugiant. Executant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expletat. Iidem, in morbo ancipiiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve convenient, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

Cap. III.

DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQVE IPSA LEGE.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunt. Oblata ne qui sine causa iusta recuset, neu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiae legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare causa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertiis, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX

INDVLGENTIARVM ET PRIVILEGIORVM.

CAP. I.

DE INDVLGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi ius sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali:

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur:

III. Quo die ad concessionem menstruam seu *Conferentiam* convenient, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint:

IV. Die IV Octobris, natali Francisci Patris legiferi: die XII Augusti, natali Clarae Virginis legiferae: die II Augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basiliacum eius dedicatam: item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti caelitis, in cuius templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint:

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Iesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Idem eodem iure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem*, hoc est *Benedictionem*, per hos dies qui intra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi: II. die solemni Paschatis Resurrectionis: III. die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Iesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: IV. Iosephi sponsi eius die XIX Martii: VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris die XVII Septembris: VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine die XXV Augusti: IX. Elisabeth Hungaricae die XIX Novembris.

IX. Item semel in mense, si qui *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* quinques pro incolumente rei christiana, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii iure, omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitanam loca sanctissima, aedem Iacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplications in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo iure fruantur quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

Cap. II.

DE INDVLGENTIIS PARTIALIBVS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebaverint, Deoque pro rei christiana incolumente supplicaverint quo die sacra Stigmata Franciso Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequierint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint: quinques precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christiana, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praecepsis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenali dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

### CAP. III.

#### DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque nostris et Can-

cellariae Apostolicae regulis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo octagesimo tertio, III Kalendas Iunias, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C.CARD.SACCONI Pro-Datarius — TH.CARD.MERTEL

#### VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

*Loco + Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium.*

I. CVGNONIVS.

#### Die Erhaltung der kirchlichen Bau- und Kunstdenkmale betr.

Nr. 10338. Die diesseitige Verordnung vom 7. Dezember v. J. Nr. 9405, publizirt im Erzb. Anz.-Bl. Nr. 1 I. J., wodurch der Schutz der kirchlichen Bau- und Kunstdenkmale (Skulpturen, Gemälde, Kirchengeräthe) den Erzbischöflichen Pfarrämtern empfohlen, jede Veränderung an denselben (Abbruch, Restauration ic.), sowie jede Veräußerung oder Versendung dieser Kunstgegenstände oder kirchlicher Geräthschaften (Messgewänder, Kelche ic.) ohne vorherige diesseitige Genehmigung untersagt wurde, wird den Erzbischöflichen Pfarrämtern mit dem Anfügen in Erinnerung gebracht, daß eine Übertretung dieses Verbots von uns an Geld oder mit kirchlicher Censur bestraft werde.

Freiburg, den 22. November 1883.

Erzbischöfliches Ordinariat.

#### Pfünderehesungen.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Johannes Baptista haben die Pfarrei Gutmadingen, Decanats Geisingen, dem bisherigen Caplaneiverweiser Josef Walter in Pfaffenweiler verliehen, und hat derselbe den 27. November I. J. die canonische Institution erhalten.

Seine Königliche Hoheit der Durchlauchtigste Großherzog haben aus der Zahl der von dem Erzbischöflichen Ordinariate in Vorschlag gebrachten drei Bewerber den bisherigen Pfarrverweiser Josef Höfle in Gutmadingen auf die Pfarrei Hoppetenzell, Decanats Stockach, designirt und hat derselbe den 27. November I. J. die canonische Institution erhalten.

Dem von Seiner Königlichen Hoheit dem Durchlauchtigsten Großherzog auf die Pfarrei Eichsel, Decanats Wiesenthal, präsentirten Pfarrer Albert Bührle, bisher in Michelbach, wurde den 29. November I. J. die canonische Institution ertheilt.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Johannes Baptista haben die Stadtpfarrei Külshain, Decanats Tauberbischofsheim, dem bisherigen Pfarrer Franz Möbel in Dörlesberg verliehen und hat derselbe den 29. November l. J. die canonische Institution erhalten.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Johannes Baptista haben die Pfarrei Hattingen, Decanats Geisingen, dem bisherigen Pfarrer Mathias König in Oberspizbach verliehen und hat derselbe den 29. November l. J. die canonische Institution erhalten.

Seine Königliche Hoheit der Durchlauchtigste Großherzog haben aus der Zahl der von dem Erzbischöflichen Ordinariate in Vorschlag gebrachten drei Bewerber den bisherigen Pfarrer Karl Herrmann in Bühlertal auf die Pfarrei Ringsheim, Decanats Lahr, designirt und hat derselbe den 29. November l. J. die canonische Institution erhalten.

Dem von Seiner Königlichen Hoheit dem Durchlauchtigsten Großherzog auf die Pfarrei Hamburg, Decanats Tauberbischofsheim, präsentirten Pfarrer Karl Krug, bisher in Wenkheim, wurde den 2. Dezember l. J. die canonische Institution ertheilt.

Seine Königliche Hoheit der Durchlauchtigste Großherzog haben aus der Zahl der von dem Erzbischöflichen Ordinariate in Vorschlag gebrachten drei Bewerber den bisherigen Pfarrer Willibald Friedrich in Österburken auf die Pfarrei Vilchband, Decanats Lauda, designirt und hat derselbe den 4. Dezember l. J. die canonische Institution erhalten.

Dem von Seiner Königlichen Hoheit dem Durchlauchtigsten Großherzog Namens des minderjährigen Sohnes und Theilhabers an der Standesherrschaft Salem, Seiner Großherzoglichen Hoheit des Großherzoglichen Prinzen Ludwig Wilhelm, und von Seiner Großherzoglichen Hoheit dem Großherzoglichen Prinzen Ludwig Wilhelm August, Markgrafen von Baden, auf die Pfarrei Hilzingen, Decanats Hegau, präsentirten Pfarrer Karl Schwörer, bisherigen Pfarrverweser in Sölden, wurde den 4. Dezember l. J. die canonische Institution ertheilt.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Johannes Baptista haben die Pfarrei Flehingen, Decanats Bruchsal, dem bisherigen Pfarrverweser Alois Reim in Vilchband verliehen, und hat derselbe den 6. Dezember l. J. die canonische Institution erhalten.

Seine Excellenz der Hochwürdigste Herr Erzbischof Johannes Baptista haben die Pfarrei Gundheim, Decanats Tauberbischofsheim, dem bisherigen Pfarrer Anton Frank in Waldmühlbach verliehen, und hat derselbe den 11. Dezember l. J. die canonische Institution erhalten.

Dem von Seiner Königlichen Hoheit dem Durchlauchtigsten Großherzog auf die Pfarrei Rohrbach, Decanats Heidelberg, präsentirten Pfarrer Florian Werr, bisherigen Vicar in Ladenburg, wurde den 13. Dezember l. J. die canonische Institution ertheilt.

#### Diensternennungen.

Vom venerablen Landkapitel Stockach wurde Pfarrer Emil Otter in Mühlingen zum Kammerer und die Pfarrer Georg Braun in Liggeringen, Adolf von Briel in Gallmannsweil und Leo Schrieder in Bonndorf zu Definitoren gewählt und mit Erlaß Erzbischöflichen Ordinariates vom 22. November l. J. Nr. 10355 bestätigt.

#### Bersehung.

Den 19. November: Dr. Leopold Hugelmann als Pfarrverweser nach Sölden.

Den 29. November: Ferdinand Mayer, Vicar in St. Trudpert i. g. E. nach Limbach.

Heinrich Stegmüller, Vicar in Ottersweier i. g. E. nach Ladenburg.

Den 11. Dezember: Josef Eckert, Vicar in Liel i. g. E. nach St. Trudpert.

Karl Hamm, Pfarrverweser in Bernau i. g. E. nach Wieden.

Sterbfall.

Den 12. Dezember: Josef Standara, Pfarrer in Burgweiler.

R. I. P.

Fromme Stiftungen.

Zur Heiligenpflege in Trochtelfingen 200 M. von Franz Josef Ruf zu einem Seelenamt für seine † Ehefrau Maria Anna geb. Heinzelmann und s. B. für den Stifter selbst.

Zum Kirchenfond in Hörschwag, Pfarrei Stetten u. S., 133 M. 34 M. von den Kindern des † Vogtes Heinzelmann zur Lesung einer hl. Anniversarmesse für ihre Eltern Matthäus Heinzelmann und Magdalena Schaut.

Zur Heiligenpflege in Empfingen 200 M. von Christine Hänle, geb. Häuser, in Mühlhausen im Elsass zu einem Seelenamt für die † Eltern Martin Häuser und Maria Hellstern, für ihren † Ehemann Ignaz Hänle, die Stifterin selbst und deren Kinder.

Zum St. Martinskirchenfond in Freiburg 300 M. von † Heinrich Wanner, Privat, zur Abhaltung von zwei Seelenämtern für den Stifter und seine verstorbenen Brüder und 5000 M. ohne Belastung.

Zur Heiligenpflege in Ringingen 100 M. von Josef Neßer zu einer Fahrtagsmesse für Althirschwirth Josef Diez.

Zur Heiligenpflege in Hettingen 100 M. von Anton Stauff zu einer Fahrtagsmesse für dessen † Bruder Joh. Nep. Stauff und dessen † Ehefrau Catharina geb. Jaudas.

Zur Heiligenpflege in Stetten b. S. 100 M. von Maurer Melchior Stengel zu einer hl. Messe für Rafael Stengel und Verwandtschaft und nach dem Ableben des Stifters auch für diesen.

Zur Heiligenpflege in Stetten 100 M. von Karl Pfeffer zu einer Fahrtagsmesse für seinen † Sohn Dionys und für seine † Mutter Crescenz geb. Edele.

Zum Kirchenfond in Aßamstadt 200 M. von Wittwe Appollonia Köppler zur Anschaffung von Kerzen an den Kronleuchter an den Hauptfesten des Jahres.

Zur Heiligenpflege in Jungnau 100 M. von Isidor Sauter zu einer Anniversarmesse für seinen Vetter Anton Volk.

Zur Heiligenpflege in Weilheim b. S. 100 M. von Wittwe Rosine Riester geb. Feuer zu einer Fahrtagsmesse für ihren † Bruder Josef Feuer und ihren † Ehemann Johann Baptist Riester und s. Bt. für die Stifterin selbst.

Ebendahin 100 M. von Wtw. Maria Wolf zu einer Fahrtagsmesse für ihren † Ehemann Lehrer Kaspar Wolf, für sich und ihre Tochter Bertha Häusel geb. Wolf.

Für den St. Raphaelverein sind ferner eingegangen vom: Decanat Waldshut 43 M. 50 M.; Decanat Billingen 25 M.; Decanat Philippsburg 10 M.; Decanat Bischofsheim 5 M. (2te Gabe); Decanat Mühlhausen 5 M.; Decanat Haigerloch 10 M.; Decan u. Pf. Bopp in Handschuhsheim 3 M., zusammen 101 M. 50 M.: hierzu die früheren 376 M. 82 M. — im Ganzen 478 M. 32 M.